Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1991
Quelle:
Copyright:

dringentesimo tricesimosexto. Nihil de his ad h. a. *Conspectus Hist. Univ.*

Ad Codicem compingendum postice adhibita est lacinia admodum vetusta rabbinici cujusdam Tractatus.

DCCCXII.

U. 112 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 292. 4. currente calamo exaratus I. continet varias Prolusiones Academicas, puta in Lecturam *Evangelii Lucae*, in Materias principales *Librorum Sententiarum*, speciatim in *Librum* III. in I. in II. &c. quarum omnium Thema illud *Lucae* I. 78. *Visitavit nos oriens ex alto.*

II. *fol.* 69. sequitur Lectura in II. *Sentenciarum* hoc ingressu: *Circa primam distinctionem 2i Queritur Vtrum in temporis inicio deus fecerit mundum ex nichilo* &c.

III. *fol* 257. accedunt *Dubia*, quae circa praedictum *Librum* moveri possunt. Autor nullibi proditur, neque id magno Eruditionis damno. Interim tamen ejusmodi Scripta, cum jam olim in serie *Codicum* suis numeris insignita sint, neque commode loco movere potui, neque penitus silentio premere volui, cum saltem veterum Academiae nostrae Doctorum Αυτογραφα, et Documenta sint, quanta industria rem illi scholasticam et sacra studia aevo suo promotum iverint. Id quod semel monuisse sufficiat.

DCCCXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 67
XV. Folior. 405. 4. calamo currente non uno conscriptus, rubricis tamen distinctus, et, ut p. notatur, quondam *Dominorum stipendiatorum burse Rose* varia Professorum olim Academiae *Vindob.* Monumenta scholastica hac serie complectitur: 1) Prolusionem de dignitate Scripturae sacrae principio mutilam. 2) *fol.* 10. Prolusionem in Expositionem Prophetarum *Zachariae* et *Malachiae.* 3) *fol.* 16. Prolusionem in *Sententias Petri Lombardi*, praeciqueque *Librum* III. in qua Autor Collegam suum in *Sententiis* exponendis nominat *M. Cristannum de Hurben*, qui Canonicus et Decanus D. *Stephani* praefuit Academiae Rector 1443. et obiit 1467. 4) *fol.* 21. p. 2. Prolusionem in *Librum IV. Sentent.* in qua praeter praedictum nominantur Collegae *M. perichtoldus*, *M. Johannes de Giengen* et *F. Joh. Streler* Ord. Praed. 5) *fol.* 26. p. 2. Similem in *Librum I. Sentent.* e cujus decursu patet, memoratum *M. Perchtoldum* appellatum fuisse *Deychsler de Norimberga*, et *M. Johannem Heydarff* 6) *fol.* 52. p. 2. Discutiuntur Quaesita et Dubia varia theologica, inter alia *fol.* 76. *Vtrum christianus honorantem se iudeum licite rehonorare possit. Respondetur breuiter, quod non.* 7) *fol.* 184. *Lectura 3ij Sententiarum.* 8) *fol. 252. Lectura quarti Sententiarum.* Atque his pluribus